262
303

Caspar Peucerus Auditoribus
suis S. D.

Cras Deo iuuante ad institutas & inchoatas operas reuertar. Deum oro, ut et conatus meos in explicatione rei difficilis regat ac iuuet, ~~cum~~ et huic coetui tribuat dulcem ~~et~~ ad colenda studia necessariam pacem. Vidimus his diebus stellam Mercurij, qua cum Venere matutino ortu Solem praecedit, interuallo in Ecliptica partium pene nouem, decim. Sed remotior a Sole & paulo altior Veneris locus est. declinior & humilior Mercurij. Cum itaque propter λοξότητα circuli perpetuo declinantis in Austrum rarius conspiciatur, fruantur Scholastici data cognoscendi huius stellae occasione, & mane circa sextam horam in plaga coeli Orientali Mercurium requirant ac considerent. Vetustas στίλβοντα nominauit, a micante vibratorum radiorum nitore ac scintillatione, quo percellit ac praestringit oculos. Rubore ~~colore~~ enim tenui ac ceu diluto rutilae flammae Martis cedens, & Saturni ex plumbeo pallore liuescentem lucem superans, ~~[illegible]~~ ita micat, ut scintillare videatur. Talis nitor non inest reliquorum radijs. 21 Nouem.